



QVÆSTIONES
DE POSSES-
SIONE, QVÆ QUIDEM
CONTROVERSÆ IN PRIMIS ET

INSIGNIORES HABEN-
T V R.

PUBLICÆ

Ad disputandum propositæ,

SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi Viri D. SCIPIONIS GEN-
TILIS Jurisconsulti, & Ante-
cessoris,*

A

CHRISTOPHORO STOCK-
HAMER, in Auditorio VVelseri-
ano die



ALTORPHII,

Typis Christophori Lochneri.

ANNO M. D. X CIII,



NOBILL, DIGNI- TATE ET VIRTUTE PRÆSTAN-

TI VIRO D. ALEXANDRO STOCKHAMER,
*Sacri Romani Imperij Præsidi Iudicij Noribergensis, Pa-
tri meo charissimo*

S. P. D.



RÆTER privatas disputandi exercitationes, nihil tam cogitavi, quàm ut ante meum ex hac Academia discessum, publicam etiam haberem disputationem. Nihil enim video, cum in cæteris disciplinis, tum maxime in juris civilis studio, esse tam necessariũ, tamq; fructuosum, quàm eruditas, moderatas, & crebras, de rebus dubijs, & utilibus, colloctiones. Etenim quid aliud est disputatio, quàm colloquium, veritatis indagandæ, falsiq; refutandi gratia susceptum; in quo ut arborum supervacua amputantur falce: sic ratione & methodo, falsa rejiciuntur, vera & solida retinentur, collatis inter sese, citra animi acerbitatem, contrarijs sententijs. Quamobrem quæstiones nunc quasdam de Possessione conscripsi, de quibus divulgandis cum cogitarem, animus & amor erga te meus, tuorumq; in me meritorũ magnitudo admonebat, ut eas tibi inprimis cõsecrandas existimarem. Eas igitur, tanquam observantiæ, & pietatis symbolum, ut accipias, & me, meaq; stndia, quemadmodum semper usq; adhuc fecisti, perpetuo tibi commendata habeas, etiam atq; etiam rogo. DEVS OPT. MAX. te, nobis, & inclytæ Reipub. Noribergensi, quæ nuper CÆSAREI IUDICIS munus & officiũ, (quod divinitus fortunari cupio) tibi detulit, & commendavit, quàm diutissime salvum & incolumen conservet, actueatur. Vale. Datæ Altorfij, 17. Calend. Iulij, Anno Christi M. D. XCIII.

Filius T. observantissimus

Christophorus Stockhamer:

Ad Christophorum

Stockhamer.



T Vne etiam nostras clamosa ad pulpita Musas
Stocamere vocas, silvasq; relinquere & um-
Cogis, & astivo tecum sudare calore? (bram
Nil tibi praesidi, juris fervente palastrâ
Luctanti, poterunt mites adferre Camæna.
Huc ades Erigona ô potiùs, justissima virgo,
Sive Themis, seu tu mavis Astræa vocari,
Auxiliumq; tuo praesens largitor alumno,
Ejus & insignem capiti da, Diva, coronam.
Munere quo captus malesuadi præmia vulgi
Spernat, honorati vestigia clara Parentis
Ingrediens. Quem tu esse sacrum tibi tempore in omni
Et premere Augusto septum terrore Tribunal
Insisisti, populus quâ Noricus imperat ensis.
O Dea, quis possit dignas tibi dicere laudes?
Audeat & tanto verbis offundere nubem
Splendori? qualem Veneri gratissimus ignis
Lucifer, humana spargit miracula menti.
Tu quamvis, Hera, jam pridem, cum talia necdum
Polluerent miseræ scelerum contagia terras,
E terris fugiens hominum commercia vites:
Attamen has saltem sedes, hæc templa dicata
Numini adire tuo ne dedigneris, & istum
Inprimis orna juvenem, tua jussa colentem.

Scip. Gentilis.

QVAESTIONES DE POSSESSIONE.

I.



POSSESSIO Bartolo definitur, Jus
insistendi rei non prohibita pos-
sideri: Hanc definitionem, quam
pleriq; uti perfectissimã probant,
nos repudiamus.

II.

Vera illa est: Detentio rei, cum opinione, vel
adfectu domini.

III.

Possessio una est, si rē ipsam ac genus spectes.
Iusta & injusta, à Johanne species, ab AZone
qualitates possessionis dicuntur. Sed Johanni
assentimur.

IIII.

Eadem est divisio: Civilis & Naturalis:
Bona fidei, mala fidei.

V.

Receptum est à viris doctis, ut Naturalis
dicatur, quæ corpore: Civilis quæ animo retine-
tur: ad verborum significationē, modumq; possi-
dendi, non absurde: ad divisionem, absurde.

Civilis

VI.

Civilis possessio, semper vera & justa est.
Naturalis, civili opposita, semper est aut inju-
sta, aut non vera. Injusta est (vera tamen) qua
habetur ab uxore, rerum à marito donatarum.
Non vera, sed tamen ex justa causa, veluti qua à
colono, fructuario, creditore pignorario, Em-
phyteuta, Vasallo tenetur.

VII.

Non solum corpore, sed & animo alieno, quis
possidere potest, puta res peculiare ignorans.

VIII.

Si procuratori possessor rem tradat, meo no-
mine, isq; eo animo sit, ut sibi acquirat, si id ex-
presse agat, nihil agit. Sint acite: mihi non sibi
acquirat.

IX.

Infanti tutore authore possessio acquiritur.
Per tutorem non acquiritur.

X.

Servum qui in fuga est possidemus & usuca-
pimus. Per eum quoq; possidemus & usucapimus.

XI.

Gemmam in annulo possidemus, tigna vel
lapides in edificio non possidemus.

XII.

Si infundo, quem possideo, thesaurum esse sciam, quamvis eo animo sim, ut eum possideam, nihil tamen à me agitur, nisi loco movero & adprehendero.

XIII.

Per servum hereditarium, nullius rei hereditaria possessionem acquirimus.

XIV.

Dominiū cum possessione, nihil commune habet, Dominium sine possessione acquiri nō potest.

XV.

In interdicto uti possidetis, alter possidet.

XVI.

Ex pluribus causis possessionem acquirere & habere possumus: Dominium non item.

XVII.

Plures ejusdem rei in solidum domini, vel possessores esse non possunt.

XVIII.

Possessio amittitur ut acquiritur, corpore & animo.

XIX.

Qui precario rogat, vel cōducit ab altero fū- dum, quē bona fide possideat, possessionē amittit.

Munici-

XX.

Municipes possessionem acquirere & habere possunt. De dolo etiam actione teneri possunt.

XXI.

Animo solo possessio retinetur.

XXII.

Si coloni, alijve, per quos possideo decesserint discesserintve aut in furorē inciderint, aut alij fundum locaverint, nihilominus possessionem retineo.

XXIII.

Heres, ut possideat necesse est hereditatem adprehendat: etiamsi suus sit.

XXIV.

Animalium ferorum, puta apri, cervi, piscium possessione amissa & dominium amissimus. Mansuetorum possessione amissa, tamen dominium retinemus.

XXV.

Canonicum titulum habens, possessionem beneficij etiam vacuam non recte apprehendit propria autoritate. Contra communem opinionē. Nec ad acquirendam possessionem sufficit investitura, cum traditione annuli vel pilei, sed corporalis traditio rei adprehensioq; requiritur.

In

XXVI.

In feudis quoq³, propria qua dicitur investitura, possessionem in Vasallum transfert: abusive, qua scil. fit per traditionem baculi, gladij, vexilli, &c. non transfert.

XXVII.

Donatio & traditio instrumenti, quo rei emptio, id est auctoritas & jus emptori acquisitum continetur, possessionem & dominium ejus rei statim transfert in donatarium, neq³ vel ipsius rei, vel etiam donatarij necessaria presentia est.

F I N I S.

